

præstat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & Fidei, extra consensum Romana Civitatis Episcopi, causas audire non possumus. Utinam hanc tam sancti, & docti Antistitis regulam adeò salubrem omnes ubique amplectantur Episcopi! Finem imponat pia, & prudens Francisci Simonis, quæ fraudem hæreticorum sextam terminat, exhortatio „ Non te commoveat Episcoporum „ longus ordo, vel doctrinam approban- „ tium, vel authorem commendantium, si „ vel doctrinam reprobaverit Ecclesiæ au- „ thoritas summa, vel authorem ipsum ad- „ versus Ecclesiam senseris contumacem. „ Non appellatur ab Ecclesiâ, aut Ecclesiæ „ Supremo Judice ad privatorum Episcopo- „ rum tribunalia. *Quid etiam* (liceat cum „ Tertulliano interrogare libro De præscrip- „ tionibus cap. 1.) *Si Episcopus . . . lapsus „ à regulâ fuerit, ideo hæreses videbuntur ve- „ ritatem obtinere? Ex personis probamus fi- „ dem, an ex fide personas?* Non erant Or- „ thodoxi, qui cum alibi, tum in ipso ma- „ gno Concilio Nicæno Episcopi tam multi „ ab Ario steterunt. Episcopi erant Mace- „ donius, Julianus, Nestorius, Dioscorus, „ Sergius, Pyrrhus, alii permulti ruinam in „ Ecclesiâ passi. Unus est in terris Episco- „ porum Episcopus, & Magister, teste S. „ Chrysolologo supra, *Beatus Petrus, qui in „ propria Sede vivit, & præsidet, præstans „ quærentibus Fidei veritatem: quo refraga- „ nte, nulla securus faciet Episcoporum „ approbatio.*

CAPUT V.

*De Observationum Moralium editione
magis correctâ, & denuntiatione
Propositionum.*

DENUNCIATORUM bonam fidem, & famam apud omnes probè Catholicos, & Sedis Apostolicæ reverentes, satis in tuto posuit ista CLEMENTIS XI. declaratio: *Plurimas, ex prædicto libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones, à compluribus in Sacra Theologia Magistris, primò quidem coram duobus ex venerabilibus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maximâ diligentia, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet libri textu exactissimè factâ collatione, pluries iteratis congregationibus, expendi, & examinari man-*

davimus. Verùm hæc tam disertâ supræmæ autoritatis testificatio, adeò Denunciatores non absolvit in Novaturientium Tribunali, ut vel propterea Sedem ipsam Apostolicam vocare in judicium audeant, & velut ream, atque de falsitate convictam palàm laceßere. In quo autem ea denunciatorum, & Sedis Apostolicæ perfidia sita est? Num in attribuendis Quæsnello textibus, qui in libro ejus non reperiuntur? Minimè. An in Sermonis Gallici in Latinum versione minùs accurata? Nequaquam. Sed debuissent Denunciatores non mutilare textus, non lacinias furtivè decerpere: & si Judices regulas æquitatis, & veritatis servare, ut oportuit, voluissent, non debebat omnis illorum diligentia in conferendis Latinæ propositionis vocibus cum Gallicis terminari; sed circumstantiæ libri attendendæ erant; antecedentia illic, & sequentia consideranda. Sic est. Sed nihil horum à Judicibus, aut Denunciatoribus prætermisum, ostendam ad propositiones singulas, in quibus accurationis aliquid adversarii requisiverint.

Aliud malæ fidei argumentum contra Denunciatores adferunt, quod nulla ratio habita fuerit illorum, quæ alibi ab authore tradita sunt, denunciata propositionis sensui pravo contraria, non quasi author, inquit, aliquid in denunciatis propositionibus pravum intenderit, vel docuerit; sed quia verba ejus ab imprudentibus, vel malevolis sensu quodam ab authoris mente alienissimo accipiuntur: ita illi. Verùm neque Quæsnellum usquam Propositionibus damnatis, vel damnato earum sensui contraria docuisse ostenditur: neque exoticum, sed obvium sensum, quem Quæsnelli verba exhibent, Sedes Apostolica proscriptit; Quanquam neque hæc à feriendis dogmatibus hæreticis, vel perniciosis fulmen cohibere debuit, si fortè alibi dictum quidpiam obscurius ad Catholicam magis veritatem accedere videretur. Quis hæreticus non subinde scribit contraria? Plurima ex Lutheri voluminibus Catholici collegere, objiciuntque in dies ejus discipulis. Ipsa Augustana Lutheranorum Confessio, tanto elaborata studio, quot dein seu correctiones, seu depravationes subit? Ideone prior editio allegari à Catholicis non debet? Ex uno Jansenii volumine, & eadem editione referuntur textus clarissimi, quibus propositiones quinque hæreticas tradidit; à Jansenii autem defensoribus proferuntur textus alii, quibus doctrinam quinque propositionibus contentam, levi oculo legenti videretur rejicere; unde concludunt aliqui Jansenium dogmata subinde inter se pugnantia docuisse.

Verùm